THESES
PHILOSOPHICÆ

SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI D. D.


ALOYSII STROZZA

EPISCOPI FESULANI, ET COMITIS TURRICHII

PUBLICE PROPUGNATÆ

A CAMILLO, ET CAROLO
BRACCINI

FRATRIBUS, IN FLORENTINO PATRUM SOCIETATIS JESU COLLEGIO PHILOSOPHIÆ AUDITORIBUS.



FLORENTIÆ)(M.DCC.XXXIII.

Typis Dominici Ambrosii Verdi, Nunciaturæ Apostolicæ Impressoris.
Sub Signo SS. Nominis MARIÆ.)(*Superiorum permissu*.

EX LOGICA.

I. SCientias in multis partibus per Geometricas demonſtrationes incedere non poſſe, experientiâ conſtat, ſed ſolùm diſputando, & controvertendo veritatem rimari. Cum autem diſputationes ad veritatem indagandam in rebus dubiis indigeant rerum accuratis notionibus, & diviſionibus, necnon certis, quantum fieri poteſt, ratiociniis; hinc, ante aliarum ſcientiarum Studium, neceſſarium eſt ſtudium alicujus artis, quæ ad hujusmodi rerum notiones, & diviſiones, & ad habenda ea ratiocinia juvet. Ad hunc autem finem accomodatiſſimam putamus Methodum Ariſtotelicam in Organo, ſeu in Logica. Inutilem autem quorumdam recentiorum Methodum, qui ad eumdem finem præcipiunt, dubitandum de omnibus, nihilque admittendum pro vero, niſi cujus habeatur clara, & diſtincta idea, aut quod non fundetur in tali evidentia, qualem habet aliquis in eo, quod, ſi cogitat, exiſtit.

II. Aliæ ſcientiæ, quibus Logica ſuppeditat inſtrumenta, dicuntur eſſe de univerſalibus, denominatione tamen in illarum objecta exercitè reſultante a forma intentionali illis extrinſeca. Univerſale enim, ſive Metaphyſicum,

five Logicum adæquatè constituitur per multiplicitatem realem, & unitatem intentionalem præcisivam. Hinc benè dicitur, illud non dari à parte rei.

III Universalia in specie sunt hæc quinque Prædicabilia. Genus, Differentia, Species, Proprium, Accidens. Illa dicimus differre inter se specie, quæ sunt dissimilia in aliquo prædicato essentiali, quodcumque illud sit: illa autem solo numero, quæ sunt similia in omni tali prædicato.

IV. Ex prædicamentis, in quæ à Philosopho dividitur ens reale, consideramus solam relationem, quæ est ordo unius ad aliud; alia est trascendentalis, alia prædicamentalis. Hanc posteriorem dicimus in concreto, & adæquatè constitui per fundamentum, terminum, rationem fundandi, & terminandi; Nec ullus præter hæc est necessarius modus superadditus ad relationis prædicamentalis constitutionem.

V. Veritas formalis propositionis habetur per illius conformitatem cum objecto, falsitas verò per ejusdem difformitatem ab objecto. Ex duabus propositionibus contradictoriis circa futurum contingens, seu liberum, tum absolutè, tum conditionatè tale, una est determinatè vera, altera determinatè falsa, licèt scientia, aut decretum Dei non sit earum formale objectum verificativum.

VI. Scientia est cognitio certa, & evidens per demonstrationem acquisita. Alia est *scientia propter quid*, alia est scientia *quia*. Scientia *propter quid*, est scientia rei per causas, & est scientia à priori. Scientia *quia*, est scientia à posteriori, & habetur, vel per effectus, vel saltem non per causas. Possunt componi in eodem intellectu circa idem objectum materiale actus scientiæ, & opinionis.

EX

EX PHYSICA.

VII. DEfinitio, quam tradit Cartesius de corpore Physico, nempe, quòd corpus nil aliud sit, nisi actualis trina extensio in longum, latum & profundum, leges bonæ definitionis non servat. Rectiùs definitur, quòd sit substantia completa naturaliter impenetrabilis, seu primariò exigens ex naturà suà exclusionem alterius à loco, in quo ipsa est.

VIII. Creaturas non adeo otiosas, ac debiles putamus, ut non sint activæ, ac proinde illis ultrò concedimus virtutem producendi aliquam entitatem de novo. Admittimus, tum formas substantiales etiam materiales realiter à materia distinctas, tum accidentia materialia absoluta realiter distincta ab omni substantia, præscindendo interim, quænam in particulari sint admittenda. Quæ tria cum afferantur à Systemate Peripatetico, sintque characteristica istius sententia, illud omnibus aliis, quæ illi opponuntur, præferendum censemus.

IX. Forma substantialis non est se sola tota compositi substantialis quidditas, imo nec ipsa simul cum materia sufficit ad habendum compositum, nisi adsit præterea unio substantialis formaliter determinans materiam, & formam ad coalescendum in unum per se. Hæc unio est entitas modalis, nec ullâ verâ identitate identificatur cum extremis unitis, quod verificatur de omni alio modo reali Physico relatè ad rem modificatam.

X. Considerando corpus naturale relatè ad suas causas, quatuor causarum genera præcipua assignantur; Efficiens nimirum, Finalis, Materialis, & Formalis. Duplex causa efficiens in actu secundo totalis respectu ejusdem effectûs, possibilis est tantùm supernaturaliter. Impossibilis

bilis est mutua Physica causalitas pro eodem instanti reali, secundum idem primum esse reale. Impossibile pariter est, agens naturaliter agere in passum distans.

XI. Locus alius est extrinsecus, alius intrinsecus. Exrrinsecus est superficies prima corporis continentis. Intrinsecus est forma, per quam constituitur res in determinata distantia a punctis fixis. Plura corpora esse simul in eodem loco per penetrationem: item idem corpus esse simul per replicationem in pluribus locis tum definitivè, tum circumscriptivè possibile est solùm supernaturaliter.

XII. Vacuum est superficies apta continere aliud corpus, nec illud continens. Hoc de facto non datur, sive loquamur de vacuo coacervato, sive de disseminato; non tamen propterea admittimus horrorem vacui per modum qualitatis occultæ, & causæ efficientis distinctæ ab aëris pondere, elaterio, cæterisque, quæ communiter admittuntur.

XIII. Motus corporis non est præcisè mutatio viciniæ, sed transitus de uno loco in alium. Causa motus deorsum est gravitas innata, quæ est accidens distinctum à substantia: proinde gravia nec à materia subtili incurrente, nec à virtute telluris magnetica truduntur ad centrum. In descensu gravia accelerant motum juxta seriem arithmeticam numerorum imparium, ita ut spatia peracta eam rationem habeant inter se, quam habent inter se quadrata temporum, quibus sunt peracta. Resistentia medii nonnihil detrahit accelerationi; hinc tandem acceleratio ad æqualitatem reducitur. Causa continuationis motûs in projectis est impetus impressus à projiciente.

XIV. Elaterium est vis quædam, quâ corpus in suum naturalem statum se restituere conatur. Hæc vis non omnibus inest corporibus, nec in jis, in quibus invenitur, eadem est. Regulæ motûs a Cartesio traditæ, vel falsæ sunt, vel non universales.

XV. Tempus est numerus motûs secundum prius, & posterius. Dicitur extrinsecum, si consideretur, ut mensura sensibilis temporis alieni; intrinsecum verò, si conside-

fideretur, ut intrinsecè afficiens rem, cujus est tempus. Hoc posterius diciturетiam duratio, quæ licèt sit inseparabilis, realiter tamen distincta est à Creatura durante.

XVI. A Corpore naturali in genere descendimus ad considerandum illud in particulari. Corpora, quæ in mundo sunt, vel sunt elementaria, vel mixta. Prima sunt quatuor elementa, Terra, Aqua, Aër, Ignis, inter se diversa essentialiter, & corruptibilia. Qualitates, quibus moventur ad mixtorum generationem sunt Calor, Frigus, Siccitas, & Humiditas.

XVII. Calor, cujus ignis est principium, non consistit in celeri, & perturbato partium insensibilium motu, nec est effluvium substantiale corpusculorum sphęricorum, nec pyramidalium, aut in morem filamentorum contortorum. Ignes subterranei sulphure, & bitumine, aliâque id genus materiâ aluntur. Illis adscribendi sunt terræmotus, calor fontium, & Thermarum.

XVIII. Aër facilè se accomodat cuicumque figuræ, & ad recipiendas quascumque qualitates maximè dispositus est. Quibuscumque ex partibus integralibus componatur juxta diversa Philosophorum placita, talis certè debet esse, ut in illo virtus elastica, gravitas, rarefactio, & condensatio, admittantur.

XIX. Per aërem vapores calore solis attenuati ascendunt qui paulò densiores facti, fiunt nubes. Si frigore magis concrescunt, decidunt in pluviam: crescente frigore in nivem, & grandinem. Ros cœlo sereno, & non nubilo cum decidat, signum est ex vaporibus sub vesperum e terra extractis, illum componi. Cum vaporibus sulphurei, & nitrosi halitus ascendunt, qui intra nubem collecti vehementem accensionem faciunt, & compressi fulmen generant.

XX. Aquæ proprietates sunt frigus, & humiditas. Frigoris natura non benè explicatur, per quietem partium, vel per motûs imminutionem. Particulas integrales, & moleculas habet aqua, quibus alii alias figuras

ras

ras tribuunt. Aqua congelatur. Utrum verò in eo ſtatu ſit rarefacta, an condenſata, litigatur. Dicendum putamus, glaciem eſſe aquam condenſatam.

XXI. Mare eſt ingens aquarum collectio. Illius ſalſedo oritur ex admixtione ſalis. Variæ circumferuntur Philoſophorum ſententiæ circa æſtum maris, quæ licèt multa ingeniosè afferant, cauſam tamen illius Phyſicam adhuc nos latere, fatendum eſt. Plures cenſent, fontium originem à mari, ut à cauſa immediata repetendam eſſe: veriſimilius tamen eſt fontes à pluviis, & nivibus ſolutis oriri.

XXII. Relictâ terræ elementaris conſideratione, ad aliqua potiùs corpora mixta, quæ ex quatuor vulgatis elementis oriuntur, inſpicienda progredimur. Lapides ex ſuccis quibusdam terreſtribus concreſcunt, qui quo puriores, defæcatioreſque fuerint, eò puriores, pretioſioreſque lapides efformantur. Idem dicendum de gemmis. Materia proxima metallorum eſt halitus quidam terreus, & ſiccus, qui idcirco dicitur ſemen metallorum, cum ſufficiente humoris portione ad terræ particulas connectendas. Ad hunc ſenſum reduci poteſt illa Chimicorum opinio, quæ ſtatuit in ſulphure, & mercurio haberi materiam proximam metallorum, ſi nomine ſulphuris intelligatur halitus terreus, & ſiccus, nomine verò mercurii humor benè diſpoſitus, & diviſus. Quòd ſinguli Planetæ ſuum habeant metallum, quod generent influxibus ſuis, inter fabulas rejiciendum.

XXIII. Inter mixta præſtantiſſimum eſt corpus animatum, præſertim animâ rationali. Anima eſt actus corporis Phyſici organici potentiâ vitam habentis. Alia eſt vegetativa, alia ſenſitiva, alia rationalis. Non eſt una communis omnibus viventibus, nec in ſingulis multiplex, ſive ſimul, ſive ſucceſſivè. Præter animam corpus informatur formis partialibus, quæ abeunte animâ remanent in Compoſito: hinc nulla neceſſitas admittendi formam cadavericam.

XXIV.

 57

XXIV. Animæ rationalis potentiæ dicuntur esse memoria, intellectus, & voluntas, quæ tamen cum ipsa realiter identificantur, & ratione nostrâ tantum distinguntur. Ejusdem immortalitas naturali etiam lumine demonstrabilis est.

XXV. Animalia bruta faciunt adeo miras operationes, ut satis clarè innuant, se non esse machinamenta quædam, seu mera authomata. Hinc asserimus, prædicta animalia prædita esse principio intrinseco, dependenter a quo eliciunt operationes suas, & hujusmodi principium esse, ac potiori jure vocari posse animam verè, & propriè sensitivam.

EX METAPHYSICA.

XXVI. PRæter identitatem realem, & intentionalem, seu formalem per intellectum in creatis aliam non admittimus. Similiter dicimus de distinctione. Ac proinde inter gradus Metaphysicos ejusdem individui creati solam distinctionem intentionalem admittimus, omni aliâ exclusâ, sive formali ex natura rei, sive virtuali tum intrinsecâ, tum extrinsecâ, seu præcisione objectivâ.

XXVII. Ens reale dividitur in ens a se, & ens ab alio, in ens per se, & ens in alio. Comparantes jam ens cum suis differentiis a parte rei, dicimus, quòd, si ens explicetur, & concipiatur sub ista ratione *Potens existere*, vel non *repugnans ad existendum*, est univocum respectu Dei & Creaturæ, substantiæ, & accidentis.

XXVIII. Ens a se est Deus, cujus existentia evidenter demonstrabilis est, sed eâ solâ evidentiâ, quæ a posteriori dependeat. Immediatus Physicus illius concursus in actu secun-

ſecundo eſt neceſſarius ad omnes, & ſingulos cauſarum ſecundarum effectus. Neceſſaria ſimiliter eſt relatè ad eosdem effectus divina determinatio quoad individuum

XXIX. Non tamen dicimus Deum prædeterminare per aliquid connexum, & inevitabile creatæ libertati, quando adeſt: neceſſarium, & inacquiribile quando non adeſt: hinc rejicimus Phyſicam prædeterminationem.

XXX. Inter Creaturas poſſibiles nulla locum habet, quæ ſit categorematicè infinita, quamvìs admittamus in creatis infinitum ſyncategorematicum: nulla etiam, quâ Deus aliam non poſſit abſolutè ponere perfectiorem.

Propugnabuntur publicè in Templo SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ Patrum Societatis JESU, Menſe Septembris, Die Hora